



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 43. De Presbytero non baptizato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

urgente periculo baptizari poterit, juxta probabilem & tutiorem sententiam, existente vero dubio, an quis sit baptizatus, baptizandus erit his verbis, *Si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, in nomine Patris &c. c. 2. h. t.*

Quod ad locum attinet, in quo quis baptizandus, constituit Clemens V. ne quis in aulis vel cameris, vel alijs privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesijs, ubi sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos audeat baptizare: nisi Regum vel Principum liberi fuerint, aut talis necessitas emerferit, ob quam ad Ecclesiam absque periculo accessus haberi nequeat. Qui secus presumpserit, aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigandus erit, ut alij attentare simile non praesumant. *Clement. unica h. t.* Similiter in Abbatijs & Monasterijs prohibentur esse baptisteria. *can. Primum xviii. q. 2.*

§. IV. De effectu Baptismi.

1. 2. Baptismus iterari nequit, & poena iterantis.

Effectus proprius & principalis baptismi est delere originale peccatum, atque etiam in adultis omne actuale praecedens. *can. Firmissime & alius De consecrat. distinct. 4. Conc. Trid. Sess. 5. De peccato originali* Praeterea gratiam & virtutes infundere, atque aperire regnum caelorum, *c. Maiores h. t.* causare spirituales quandam cognitionem, de qua dicitur libro sequenti in primae characterem indelibilem; 1. coque fit, ut sine sacrilegio reiterari non possit, *c. fin. h. t. Conc. Trid. Sess. 7. n. 11.* Adeoque habet odio baptizatos Ecclesiam, ut qui non ignoranter rebaptizantur, iterum Christum crucifigere dicantur. *can. Qui bis d. Dist. 4. & ab Ordinibus arceantur; quavis etiam ignoranter, ignorantia scilicet juris rebaptizati fuerint, d. can. Qui bis.*

2. Qui vero usu temerario baptismum reiterare conati fuerint, muerone excommunicationis percussus ab omni officio & beneficio deponuntur: imo & iure civili ultimo supplicio afficiuntur, *l. 2. cod. Ne sanctum baptismum restituerit.*

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

1. Ordinis characterem non imprimi non baptizato.

Cum, ut supra dictum est, Baptismus sit ianua & fundamentum omnium Sacramentorum, & ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum, *c. 3. h. t.* satis inde colligitur, quid statuendum sit de Presbyteris non baptizatis, nempe tales non suscipere Ordinis characterem, ac proinde baptizandos, & tum demum ordinandos, *c. 1. & c. 3. h. t.*

Quod si tamen quis non baptizatus crediderit probabiliter se baptizatum, fidemque Catholicam amplexus, in ea usque ad extremam vitae diem perseveraverit, omnisio baptismi ei non nocebit, quia, ut D. August. ait, Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit, *c. 2. h. t.*

TITULUS LXIV.

De custodia Eucharistiae, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

1. Eucharistiam in Ecclesijs parochialibus ad servanda.
2. In pixide argentea velburnea.
3. Non in Capellis vel alijs Ecclesijs non parochialibus.
4. Quo modo & quando deferenda ad aegros.

Cum Baptismus, in quo Chrismate utimur, omnibus ad salutem sit necessarius; Eucharistia vero ideo instituta, ut nobis sit cibus caelestis & viaticum, ne in ipsa via deficiamus, & in certamine succumbamus, ut in omni casu necessitatis haberi possit copia